

HUNGARICA R 1210

6997  
Papl 1622



Magna Ungarorum Domus.



M A G N A R 4240

# UNGARORUM DOMINA

Summo Regum, Principum,  
Populique studio in Ungaria  
semper culta.

## HONORIBUS

REVERENDORUM, NOBILIUM,  
AC ERUDITORUM  
DOMINORUM DOMINORUM  
Supremâ AA, LL. & Philos. Laureâ

*In Alma Episcopali*

UNIVERSITATE S. J. CASSOVIENSI  
*Condecoratorum,*

P R O M O T O R E

*Reverendo Patre*

JOSEPHOWARNHAUSER  
ē Soc. JESU, AA, LL. & Philo-  
phiæ Doctore, Ejusdémque  
PROFESSORE EMERITO,

*A Rhetorica Cassoviensi dicata.*

ANNO M, DCC. XXIV.

Mense Augusto, Die

---

CASSOVIÆ Typis Academicis,  
per Joan. Henricum Frauenheim.

Istvánkai P.





D. D.

PHILOSOPHIS  
DOCTORIBUS.

Felicitatem perpetuam.

**D**uæ potissimum causæ sunt,  
quod libellus hic lucem ex-  
ambiatur: altera Vos; altera tempo-  
rum istorum, heu quam à veteribus

illis alienissimorum! ratio. eam miseri nepotes ætatem hodie vivimus, an gemimus? quâ terræ hujus advenarum nonnulli (advenas dico; sacrilegus sim, si Ungaros nominavero) ausu temerario, aut verius insano, adversus Mariam, Magnam illam populi Ungarici Dominam, insurgunt; cultum Matri DEI debitum ludibrio habent; nichilq; potius curant, quam ut affectum amorémq; illum, quem genti huic jam indè à primis Regni cunabulis virtus altissimè impressit, elevant prorsus, atq; evastent. Hinc veritate omni insuper habita, spargunt in vulgum credere facilem, fales, cavillos, mendacia, & mendacia inverecunda. ajunt: Virginem pro DEO à nobis adorari; spes in ea reponi universas; ejus unius meritis omnia tribui; immo simulacra, falsoq;

xāq; ipsa Mariano signata vultu, ad instar numinum haberi, coliq;. hæc & id genus alia prurientis in male-dicentiam animi commenta, non intra verba stant, privatōsq; circulos, erumpunt in publicum; chartis infamibus illinuntur; sus, de, per ora, per manus multorū grassantur: ac quamvis secura sui veritas sit, tam non raro & ignobilia figura-reperiunt fidem, præsertim apud eos, quos aut natura ad stupiditatē damnavit, aut incogititia suis quasq; res librare momentis non finit; ut idcirco haud leye is operæ pretium tulerit, qui insulfas istius- cemodi fabellas severius acceperit, mendacia retuderit, impudentiam castigārit: quò plebejas mentes nebulis eximat, suūmq; vero, ac honesto sudum reddat. Atenim non istud nobis hoc loco consilii, ut

Virginem Sanctissimam contra hostes tueamur telis fronti adversis ; dudum hac in arena labor Catholicus feliciter sudavit , & eruditio ; proculg ; statione adversarios omnes semovit , crepta in perpetuum vel ipsa victoriæ spe . Quare non est cur altercemur amplius : certè enim hodierni sectarii non tantum possunt ingenio , novi ut quidpiam , auribúsq; dignum sapientibus excudant , et si uno omnes in mortario contundantur . si quas in Matrem Dei contumelias evomunt , aberrationes sunt , quas illi per vetustissima hæreticorum via indies carpunt . quæ omnia , quoniam suo jam situ putida , fætentiaq; sunt , nè stomachum moveant , negligimus . Nobis itaque scopus est alius : adolescentem scilicet ætatem exemplis Majorum in obse-

obsequium Magnæ Dominæ instituere, quâq; reverentiâ, quo affectu Ungarorum Filii in Mariam esse debant, Paternis documentis exhibere. Et sanè sive dictis, sive scriptis malè seriatorum homulorum tantum deferet Ungarorum nemo, ut à gestis Avorum abeat, ut à sanguine degeneret suorum, ut ex Ungaria discedat: siquidem antiquorem habebit Patrum sapientiam, quam hesterna nocte natorum fungorum calumniandi licentiam. En prima suscepti operis causa. Accipite alteram: gloriae Vestrae theatri, munus exigebat illustre, ac splendidum; quod præclarius daremus, habuimus nullum. Habetis isthic & Reginam Vestram, & Parentes vestros: Illi ut fideles æternum vivatis, hos ut æmulemisi strenue, opusculum istud infor-

mat. His alis hodiernam Lauream in solem Patriæ, honoris publici, dignitatísque maximæ sublevabitis, & exempla venturis non inferiora dabitis, quam accepistis. Vivite...  
**valete...**



**PARS**



# PARS PRIMA. REGUM UNGARIAE IN VIRGINEM DEI PAREN- TEM RELIGIO.

**A**nus Christi M. Felix Anus ! qui novo Europam auxit Imperio, novum orbi dedit Imperatorem. Ungaria haec tenus Provincia : qui populo moderabantur, Duces audiebant. Stephanus I. diadema obtinuit, Monarchiam erexit. Quâ porrò viâ ? Virginem DEI Matrem, cui amandæ à teneris confieverat, auxilium poscit: adesset desideriis pia Parens, & qua posset omnia authoritate efficeret apud Filium : quo Roma Principem, crearet Regem ; Provinciam, Regnum. & siquidem voti se olim damnaret, nihil sibi potius futurum cultu Mariano, titulosq; amplissimos ituros omnes in laudem, gloriamq; Auxiliatricis. Et vero adfuit in tempore oranti Virgo : ac-



cepti à Sylvestro II. Legati Ungari benevolè, magnisq; Pontificij animi significationibus indulta omnia, quæ petebantur. Ac nè reliquus foret Mariano de Patrocinio ambigerdi locus: Corona Stephano ad festam ab Annunciatio-ne Virginis lucem decernitur. In Ejusdem Assumptionis solenniis rite impo-nitur. Secundissimo prorsus omnino prolusum est Regi Mariano: tum enim Stephanus Romæ Rex, quando Maria in Nazareth Regina, proclamatur; dum hæc in Cœlis, ille in terris diade-mate incingitur. Cujus beneficii peren-nis memoria, ut in posteros, iret: Stri-goniensem Archi-Episcopatum Matri in Cœlos sublevatæ, Colocensem Eidem ab Angelo salutatæ erexit, dicavitque novus Rex. En exordia Imperii Vestri Ungari! en principum Orthodoxæ Fidei Vestram apud Gentem sedium occasio! à Maria Regnum, Coronam, Regem, Pontifices accepisti. Meimentote beneficiorum; Matris, de qua procrea-ti esis, mementote! illis gratiam ha-betote, huic amorem. Tuebitur illa favores suos; nec tam se contulisse, quam collata servâsse gaudebit: modò

quæ

quæ grati animi, quæ filialis observan-  
tiæ officia sunt, persequimini.

Circiter M. II. Erigitur à Stephano,  
& Marianis consecratur subinde hono-  
ribus, grandis illa, totóq; terrarum or-  
be celeberrima Basilica Albæ Regalis.  
hac in Æde insignia olim dominii su-  
mebant Reges, hic ferè tumulo infere-  
bantur ; quò palam fieret, & ortum di-  
gnitatis tantæ, & occasum Mariana si-  
tum esse in potestate ; sciréntq; Reges  
Ungari unam illam æterno Regni hujus  
potiri imperio , se verò temporario ;  
cidémq; reddendum dexteræ sceptram,  
à qua illud acceperant. at malum ! nec  
informia quidem rudera Templi illius  
hodie supersunt. Stetit, dum Virginea  
apud Ungaros religio integra stetit. In-  
clinante hâc, cecidit. Tanti est Unga-  
ris vel ex parte Dominam deseruisse !

Sub hæc tempora sparsim per Ungari-  
am plurima cultui DEI Parentis funda-  
vit, stabilivitq; Monasteria, & Templa  
Rex Sanctus. Quippe amata m volebat  
omnibus, quam ipse amabat , nec inde  
metuebat sibi, quasi verò dispersus ea-  
propter in multos Divæ Virginis amor  
minùs Stephano uni intenderet. Alia

cœlis regula est, alia terris: isthic quemadmodum ignes, sic amores collecti in unum ardent, divisi langvent; felicitati illa in sede tanto vehementiores surgunt, quanto amplius disperguntur: fac: affectum omnem omnino uni DEO impende: amas? & multum quidem: age porro iisdem plures flammis succende: amas? & longè plus ac antè: nuper uno, jam tot cordibus in altum raperis, quot te authore humo secreta sunt: respondent tuis, amores pariter divini. amat, amantem, te DEus; at multò copiosius, si tuā operā etiam aliis ametur DEUS; par est amoris Mariae ratio.

At quò tandem ab ripis Stephanum nostrum Magna Mater? Tuus ille est, quantus quantus est: erravi. Tu per eum nostra es, quanta quanta es! (a) Intulit Te Rex ille non Aris modò, & Templis: sed Regiae toti, aulis omnibus, Urbibus, ac Curiis omnibus; pa- rum dixi: etiam aulæis, etiam vexillis, etiam instrumentis domus regiae, etiam Anni mensibus, etiam pecuniis: nihil ut, aut videretur uspiam, aut audiretur,

aut

(a) P. Inchofer, ad Ann. 1038.

aut preium haberet ullum, nisi Maria,  
 & in omnibus, & ubiq; Maria. O amor  
 Stephani in Virginem! amor post ho-  
 minem conditum, nunquam visus! Ma-  
 gnis audit Constantinus à Cruce Christi  
 signis militaribus illata, veneratione  
 culta, honoribus propagata; Magnus  
 pariter Stephanus à Matre acti in cru-  
 cem Christi amata, religionibus omni-  
 bus observata, terris universis com-  
 mendata. Et profectò est, quō glorie-  
 tur Ungaria ante regna omnia: quot  
 quot enim Imperatores, aut Reges cli-  
 entelis Mariæ erant, crūntq; olim cele-  
 bres, id exemplis Stephani Ungari Re-  
 gis egere hactenus, agéntq; deinceps.  
 quot quot Imperia, & Provinciæ Ma-  
 riæ sibi legerunt Patronam, legéntq;  
 Ungariam sunt imitatæ, & porro imita-  
 buntur: hæc regnum prima, hujus  
 Rex primus exemplaria orbi terrarum  
 dedit: quō affectu, quā deniq; reveren-  
 tiâ sit mortalibus habenda DEI Mater.

A.C.M.XXXVIII. Sed finē aliquan-  
 do narrationi faciamus, quanquam Rex  
 noster amori Virginis nunquam fecit,  
 nunquam faciet: nam ipsâ vitæ horâ  
 supremâ, Regnum Ungariæ hæredita-

rio, eóq; æterno jure , Mariæ transcribit, ejus pedibus Coronam , sceptrum, pomum regale , adsternit. Eam Reginam, eam Dominā unam, in corona Nobilitatis totius proclamat: tum: (a) *Tili*, inquit, ô *Maria!* peculium hoc tuum commendabo, Tu curam illius gere ; Tu ab inimicis defende, ab incurzionibus satanae protege ! demum jam jam extremum spiraturus ita iterum ad suam Illam<sup>g</sup> (b) *Regina Cœlorum, mundi inclita repatria*, Tuo patrocinio , tuis precibus, sanctam Ecclesiam cum Primitibus , & populo commendabo, quibus nunc ego ultimum vale dicens , animam quoq; meam tuis manibus committo : dixit, & vixit Assumptæ in Cœlos Dei Parentis solennidie : quid dico, vixit? vivit etiamnum Stephanus in cordibus bonorum Ungarorum, quibus usq; adeò suum in Mariam amorem impressit, verius insculpsit , nemo ut unus fuerit, qui singulari illam animo jam inde à pueris non prosequatur: certè qui secus faciunt ; in Ungaria sunt , Ungari non sunt : abortientis terræ probra sunt, vitu-

(a) *Sigism. Feray. De Rebus Ung. Part. 4.*  
 (b) *Idem. Ibidem.*

vitulamina sunt. nothi sunt. vivit de-  
inde Rex ille Sanctus in Ungaria per  
Virginis auxilia vel hodie vivente.  
DEus bone! quanta in Regnum istud  
conjuravere excidia! nunquam tamen  
octavum in seculum sive Sarissæ bar-  
baricæ, sive pugiones hæretici, seu ex-  
terni gladii, sive domesticæ sicæ tan-  
tum potuere, ut delerent. heu quot  
Imperia, brevi tempore, nec magno  
ab hoste, eversa! Ungaria adhuc stat:  
quæris causam? hæreditas est Mariana.  
Discite Reges hâc regna basi firmare:  
non patebit unquam ruinæ, quod pro-  
tegitur dexterâ Mariæ.

Reginam jungamus Regi, Stephano  
Gyselam; vel ideo viro carissimam,  
quia cultûs Mariani studiosissimam: am-  
pliabat Mariti beneficia Conjux, & quæ  
ille fundabat, ista ornabat: huc purpu-  
ram, & sericum omne; huc argentum,  
& aurum; huc gemmas, adamantes,  
mundum omnem sedula Mulier confe-  
rebat, quo Regina Cœli clarius luceret:  
non Asceterium, non templum, non  
Ara Virgini stabat, quam non excole-  
ret manus Gyselæ; quæ tum se pro Re-  
gina Ungariæ ferebat, cùm Magnæ Un-  
garo-

garorum Dominæ ancillaretur. Quale spectaculum! quale connubium! ubi nulla unquam contentio, nisi in honore Mariæ promovendo.

A. C.M.XX. Certat religioni Parentum Filius Emericus , & propemodum vincit : dum enim illi omnia sua , hic seipsum totum : corpus , sensum , mentem , animum Mariæ immolat , facto ad ejusdem effigiem virginitatis perpetuæ Sacramento ; quo etiam sponsa subinde Emerici virgo virgini copulatur : rares inter aulæ illecebras mens intamnata ! sed quid expectes à tellure Mariana , nisi lilia .

A. C. M. LXXVI. Geyfa I. Rex Ungarorum , ut obstrictam voti religione liberet fidem , magnificam totius Ungarici Generis Advocatæ Basilicam Vaciae ad culmen perducit : quānam porrò voti religione se obligaverit ? videre placet : Ladislai Germani sui , adhortatione simul , simul Othonis Bohemorum Ducis , solicitationibus inflictus Geyfa , prælio Salamonem , Ungariæ Regem , laceffiturus , in silvam , ubi nunc Vacia est , presso gradu contendit : (a) Cūm verà

verò hīc loci Ladislai , ac Geysæ copiæ constitissent, Ducésq; in medium consulerent, atq; de ineundo adversùs Salamonem prælio controverterent ; ecce Ladislaus , dum Angelum delatam è è Cœlo coronam fraterno capiti impo-  
suisse aspexisset : vidisti, inquit, Frater,  
quo te honore Benignitas Divina ho-  
nestavit, & quām dextris nunc auspiciis  
victoriā portendit ? cœlestis dudum è  
cœlo internuncius aureum tuo capiti  
diadema imposuit, proinde bono nunc  
esto animo , quandoquidem propitia  
sunt nobis numina, neq; nostra nos cir-  
cumvenit fides : Salamonem, insolentiā  
suā furentem, fundemus, ac fugabimus,  
procūlq; regno cedere cogemus. Hæc  
vix dum ad Fratrem Ladislaus, illico o-  
mnes in DEI benignitatem laudes æ-  
què, ac gratias Geysa contulit ; tum sic :  
(a) Quod si tua te , Ladislae , auspicia  
frustrata non fuerint, nunc Divæ Geni-  
trici vota rite suscipio , me rerum po-  
titum, celeberrimam hīc Basilicam exæ-  
dificaturum. Et verò cecidit ex animi  
sententia alea Regi in Mariam piissimo ;  
namq; exacta die, sub noctis extremum,

in

(a) Bonf. Dec. II. L. III.

in campum contra Salomonem descendit, manum conserit, exercitum urget, cædit, necat. Tanti est religiosum fuisse in Mariam!

Haud multi intercedunt dies, cum Geysa jam Rex coronatus, & Ladislaus copiarum Imperator à Fratre nominatus (a) Divæ Virginis ædem Budæ fundant, cui Pesthana vestigalia, & tres in Simegiensi agro vicos addicunt, elaboratissimis, aureisq; vasis exornatam redundant: nec hic Geysæ Regiæ in Virginem pietatis fuisse terminus, nisi Anno M.LXX.VII. vitae simul, & liberalitati modum posuisset præpropera mors.

A. C. M.LXX.VIII. Virtus virtuti, Ladislaus succedit Geysæ Fratri, qui si Majoribus suis magnitudine religionis in Ungariæ Patronam non fecit umbram, eorum certè inaudito pressit vestigia pede; quod enim hactenus assidue annualium lectione non accepimus, Ladislaum fecisse comperimus. Aureæ is monetæ effigiem impressit MARIAE; ut nempe & pretiosissimo thesauro majus accederet pretium, & palam orbi fieret, nihil, aut carius, aut æstimatius

Un.

(a) Bonf. Dec. II. L.IV.

Ungaris esse, Virgine Matre. Remunerati pietatem Ladislaianam sunt Reges posteri: quippe alterâ nummi parte addita est imago ipsius, duravitq; mos hic auri signandi, ultra quinque secula; nec casui istud ego; sed Mariæ adscribo affectui, quæ dum à Cliente separari non vult, illud consilii Principibus nostris suggestit.

Anno M. LXXX. currente, vere adulto, dum Princeps Marianus animum, curis, negotiisq; languentem bellicis, in agro Bihariensi, consestandis feris, relevat; cœlitùs velut divinâ virgâ ei locus Deiparæ gratissimus, demonstratur; in quo ad flumen Chrysum Magnæ Ungarorum Dominæ condere sacrarium, illudq; coacto populo custodiare jubetur: continuò Cliens divinus, (a) Divina audit mandata, & exequitur: magnificentissimam Ædem construit, Episcopatu prædivite auget, Pontificem loco dat, oppidum fundat, Vardinum appellat.

Ex hoc tam nobili largitatis monumento, pietatis ejusdem promovendæ, & amplificandæ fuit longè studiosissi-

mous:

(a) Bonf. Dec. II. L. IV.

mus: quod vel maximè testatissimum reddidit, vitam positurus; dum extremâ suâ voluntate, præter alias à se excitatas ecclesias, Varadinensem impri- mis, Divæ Parenti dicatam, vestium magna pretii, auri omnis, & argenti, totius demum thesaurii regii, hæredem instituit. Successoris Regia de stirpe expers, insigni affectus Mariani argumento, amplissimarum, earumq; florentissima- rum ditionum, in adstantium optimatum corona, non aliò, quam candido sinceri amoris suffragio, ut nuper Stephanus, Reginam scripsit Mariam.

Tulit præmium in vivis tūm, (a) dum in eodem Templo rerum superarum, atq; cœlestium contēplationi insistens, in aërem sublimis raptus, nimiòq; circumfusus splendore à suis conspicetur. Tulit & à fatis: (b) cum in Eccle- siam Varadinensem, à se constructam, sacrum ejus corpus devehoretur, & fessi partim labore, partim mœrore ministri, ut somno vires confirment suas, subsisterent; vectoribus ad horam diei ter- tiam somnum capientibus, currus, in quo

(a) P. Tarnoczi in Ejus vītā.

(b) Idem ibidem.

quo locatum erat sacrum pignus, sine ullius jumenti adminiculo, tam volucribus rotis Varadinum defert corpus, ut experrecti vectores illud assequi nequiverint: nimirum; amor addidit alas.

Et istud non postremum esse potest, quod tempore sacræ solennitatis à Matre habuit gratiarum: horâ namq; (a) sextâ Diei illius, quô in Divos referebatur, supra idem Templum rutilans stella, præclari fulgoris orta, duas admodum horas magnæ spectatorum multitudinis perstrinxit oculos. Scilicet sua etiam sidera, in terrenum Regis sanctissimi triumphum, cœlum alegavit.

Circ. Ann. C. M. LXXXVI. Quantumvis Salamon Ladislao identidem palmam in præliis cesserit, nihil tamen ad summam diligentiam fecit reliqui, non illum immotum sivit lapidem, odoratus quām sagacissimè omnia, ut vel semel tandem de Ladislao victoriam lætis vocibus concelebraret; idcirco cum illum omnis dexteræ spes eluserit; Cunorum ad extremum implorat copias: hic omnem operam profudit planè, ac perdidit: vix dum enim signa collata,

(a) P. Tarneoczi in ejus vita.

lata, pugna inita, manus consertæ: jam  
Cunum fuga distrahit, turbat, frangit.  
Miraris Ladislaum nunquam victum,  
semper victorem? Acies Castrorum  
cum Duce; ubi Dux pugnat cum Ma-  
ria. Ladislao, Duci Mariano, acinaces  
militabat, & rosarium; hōc eōdem bel-  
labant, qui Ducem sequebantur. Nun-  
quam ibi in arcto depugnatur, ubi fer-  
ro globuli sociantur virginei.

Deserit isthīc quoq; victoria Salamo-  
nem; quare, ut ludūm ludo vertat, de-  
se tandem triumphos referre decernit;  
rebus humanis nuncium remittit, soli-  
tudinem petit, vivit pius, moritur san-  
ctus. Est is gloriæ genius, ut cùm de  
hoste palmarum desperat, hostem seipsum  
statuat, novum adornatus trophæum,  
minori fortasse famâ; at majori felici-  
tatis incremento.

A.C. M. C. V. Colomanus Ungariæ,  
Croatiae, & Dalmatiæ Rex, invocatō  
DEI Matris subsidiō, magno 'pedestri-  
um, & equestrium copiarum comitatu  
festinat in Illyricum: posteà verò quam  
ferrum, manūmq; sive cum Venetis, si-  
ve cum Normannis supra votum con-  
tulit, singularem victoriam, victoriæq;

non

non postrema reportavit insignia , Jadram, Dalmatiæ Urbem , & naturâ , & situ , & pulcritudine facile principem premit , mœnia tormentis verberat . muros arietibus percutit , machinis propugnacula ferit , totius belli instrumentis , & apparatu agit . Contigit fortè per id temporis Beatum Joannem Episcopum Traguriensem apud Jadrenses commorari , qui dum magnâ Urbem murorum parte nudari conspicit , ut civium saluti , Colomani consulat gloriæ , author Jadrensis fit : ut , abjecta omnì cunctatione , Colomano portas referent , Victoris jugum accipient : punctum temporis non morantur Jadrenses , de consilio B. Joannis rem totam instituunt . In urbem itaq; cum insigni victorum laurea invehitur Colomanus , & ne ingratum se Ei exhibeat , cuius gratiis tantū egit triumphum (a) PROPRIO SUMPTU TURRIM SCÆ MARIÆ UNGARIÆ , DALMATIÆ , CHROATIÆ CONSTRUI , ET ERIGI JUSSIT . Hoc certè justitiæ condonit , suam cuiq; reddere beneficio gratiam . Tullianū est .

A. C. M.C. XLII. Henricus Austria,  
corum

(a) Nova Chron. Par. I.

corum Dux, Boricho notho auxiliares  
latus copias, Geysæ II, superiore An-  
no à morte Belæ II. in Patris locum  
subrogato, exitiosum indicit bellum:  
paret adolescentulus Geysa invisis Vi-  
cini postulatis; & licet exercitum ha-  
beret multis partibus inferiorem, tan-  
tum tamen abest, ut aliquâ dissiden-  
tium Procerum autoritate à proposi-  
to deterreatur: ut vel jam ipse vete-  
ranis, gloriâq; militari illustrissimis He-  
roibus, supra commune Ductorum in-  
stitutum, animos addiderit. In una  
Virgine, peculiari Ungarorum Regina,  
spem reponere jubet universos; & nè  
ullatenus fiducia hæc labefactetur, edi-  
ctô proponit: (a) ut ad omnes aras, dum  
bellum felicem finem acciperet, quoti-  
die omnia Sacerdotum collegia divinam  
opem implorarent, & Divam imprimis  
Virginem, peculiarem Ungarorum Patro-  
nam, exorarent; cuius Patrocinio, ex  
testamento Divi Regis Stephani, id Re-  
gnum fuerat commendatum. Nec plu-  
res, Belli Imperator magnanimus: in-  
terjicit moras: continuato agmine, ad  
hostium campum, citato gradu; tendit,

castra

(a) Bonf. Dec. II. L. VI.

castra castris opponit ; missis pro cursationibus, levibusq; certaminibus, in aciem descendit. (a) Alemanni non minus armis, quam clamoribus, & sonitiis Ungaros impetunt, quo facilius eorum audaciam coercent : contrà Ungari, inter dimicandum Omnipotentis DEI, ac MAGNAE MATRIS auxilium invocant, PATRONAM ingeminant. pugnatur utrinq; acerrimè, ut adeò velut æquata virtute, diu æqua esset, & suspensa partium fortuna ; donec Ban Regis avunculus, maximo cum impetu, in hostem irruit, ac Veteranas Henrici legiones terga vertere compellit ; quo viso novelli milites effusè loca tutiora quæsivere. Captis itaq; Henrici castris, magna ex hostibus cepit spolia Princeps invictus. quibus, in Patriam redux, sacrata Deiparæ Domicilia ditavit, (b) pro agendis DEO gratiis supplicationes egit, utq; apud omnes Basilicas Regni, res Divina ageretur, imperavit. Quem sibi, per inauditum hac in ætatula trophaeum, inter Belliduces Geyfa paravit locum? ad quam animi excelsi, atq; invicti magnitudo ejus exterorum existi-

mationem Principum dimanavit ? vel  
indè mente comprehendenteris, quòd vix  
bellum illustri victoriâ definiverit, nul-  
lā ferè interpositâ quiete Anno M.C.L.  
ad novum illico ciendum, contra Lo-  
domerium, à Minoslao Russiæ Princi-  
pe invitatur. gerit Minoslai desiderio  
morem Geyfa, (a) unà cum Ladislao, &  
Stephano fratribus in Rutenos contendit.  
Ionga via fessum reddit militem; qua-  
re exigua quiete laßitudinem sedare  
conceditur: confirmatis paulisper vi-  
ribus, mox tumultuario prælio, ac pro-  
cursu magis militum, quam ex præ-  
parato, atrox fit dimicatio, (b) quâ cæsis  
utringꝫ multis Lodomérius cum Chuniſ,  
& Rutenis paſſim fusus, fagotusq; est:  
Rex cum Fratribus victoriâ potiti, ovan-  
tes in Pannoniā redière. Ut verò Gey-  
fa beneficium Cœlorum Imperatricis,  
Cujus clientelæ, ut nuper, se, omnésq;  
commisit copias, æternâ prosequatur  
memoriâ, auguſtissimum Ei (c) Veteris  
Budæ construit sacrarium, alterum ab  
illo, quod Geyfa I. ibidem posuerat.

A. C. M. CC. VII. Primam, eámq;  
non

(a) Bonf. D. II, L. VI. (b) Nova Chren.  
Part. I,

non obscuram Andreæ II. Regis in MARIAM beneficentiam, rerum Regni nostri memorabilium scriptores monumentis mandarunt, Præposituram Canonorum S. Sepulchri Hierosolymitani B. M. Virginis de Glogoncza.

A. C. M. CC. XVI. Ejusdem liberalitate, secundum nonnullos, fundamenta B. M. V. Schawnikensis, quæ à candelis nomen mutuatur, jaciuntur. (a) Hanc Anno Christi M. DC. LXXXIX. Prodigium illud ( si cum Vaticanis Patribus loqui integrum ) *Munificentia*, Georgius Szécsényi Archi-Episc. Strigonensis, 60000. Rhenensium ope, ab Fisci Regii manu redemit, & Collegio Societatis JESU, quod cum re Litteraria Angiae instituit, in perpetuum transcripsit.

A. C. M. CC. XXVII. Ejusdem Marianæ Regis pietate, ac authoritate inductus pariter est pulsus campanarum in Ungariam, qui populum moneat ad ter quotdiebus salutem Virgini Matrem dicendam.

A. C. M. CC. XIX. Captâ post novem mensium obsidionem Damiatâ Urbé fortissimâ, quam clavim Ægypti Suidas

nominat, Andreas II. Rex Ungariæ & Serviæ, Expeditionis Hierosolymitanæ Imperator (a) Mahumethi basilikam insano sumptu ædificatam, Magnæ Matris MARIAE Virginis dicavit, Episcopiog, instituto Antistitem præfecit. Viguit nimirum in Principis hujus pectore in se Virginis Sanctissimæ beneficiorum nunquam interitura memoria; inde omnes victoriarum suarum triumphos ei defert, à qua habet, ut triumphet.

A. C. M.CC.L. Posteaquam Bela IV, Rex Ungariæ, & Cumaniæ, prælio hostes superavit, pugnâ perduelles frexit, acie infensissimos vicit, fudit, fugavit inimicos, communemque Patriæ pacem confecit; ut se erga salutis suæ Matrem gratum declaret, Strigonii (b) Beatæ Mariæ Virginis Auxiliatrici suæ ædem statuit. Decebat enimverò ut ea, quæ victoriam, pacemq; Regi peperit, à Rege victoriæ, pacisq; ferret monumentum.

A. C. M.CC.LII. In Insula Leporum insigne Monasterium regaliter fundavit, ac dotavit magnifice pro Sanctis.

(a) Bonf. Dec. II. l. VII. (b) P. Mart. Szent-Iván. in Miscell.

monialibus Ordinis Prædicatorum. ex quo deinceps insula illa Beatæ Mariæ Virginis audiit.

A.C. M.CC.LIII. Ejusdem Regis beneficium est Turoczenfis B. M. V. Præpositura, Præmonstratensibus ercta, multisq; possessionibus cumulata. Sed quis numeret Principis illius religionis opera? ac præsertim in Ungariæ Dominam obsequia. id certum est: Belam IV. Ungarorum Regem, alterum Imperii Mariani fuisse Parentem, sive species profana; sive divina; nam quæcunq; per Decessores Reges aut sancta fuere sapienter, aut ercta religiosè; ea ferè per Tartaros devastata, Béla loco restituit, déq; suo pluribus auxit. dignus omnino, qui in optimis Ungariæ Regibus censum ferat, & adorationem.

A.C. M.CC.LXXX. Dignum Cœlorum Imperatrice Posonii sacrarium, unà cum turri situ, & opere longè pulcherrima, impensis Ladislai IV. Ungarorum Regis excitata, campanis etiamnum in Urbe maximis instructa conspicitur. amplissimæ Basilicæ proximè ac, cedit PP. Franciscanorum Conventus

amplissimus, qui superiorum industriâ eò subinde assurrexit splendoris, toto ferè, ut nullus regno magis celebraretur. alteri finitima Ecclesiæ lateri Nazarethana DEI Incarnati Domus à picturis nobilissima, magna hominum celebritate frequentatur.

A. C. M. CCC. XV. Sub hæc tempora dum illud liberalitate augustissimum, opere nobilissimum, religione sanctissimum Magnæ Ungarorum Dominæ, à magno Ejusdem Cliente, primo Rege nostro, erctum Albæ sacrarium, magnificentiæ suæ ruinam minari, ac propius abesse, ut à tot incendiis perculsum, ac prostratum jaceat; neq; unus aliquis, qui vulneti opem, medelámq; ferat, adest; adest vel è castris Carolus Ungarorū Rex piissimus, qui, (a)avitæ religonis apprimè memor, Basilicā Albensem frequenti incendio collabantem, columnis fulcit, tegulis munit plumbeis, testudinem quoq; conspicuam adjicit. Sic nempe Avorum se æmulum profitetur: dum, quod illi à fundamentis posuerunt; hic, nè ad fundamenta per ruinam veniat, stabilit, munit.

A. C.

(a) Bonf. Dec. II, L. IX.

31

A. C. M. CCC. XIX. Elisabetha Ponorum Regis Filia, Caroli modò dicti Conjux, quanquam omnium Marii sui virtutum vestigia persecuta fuerit; quidquid tamen curæ, quidquid operæ, quidquid industriæ in ea fuit, huc contulit: ut in liberalitate erga Virginem Deiparam eō superior evaderet; dum Monasterium B.V. de Beregh, prope Munkács, regiis sanè sumptibus collocavit. Felix æmulatio, ubi pro Mariano cultu munificentia decertatur!

A. C. M. CCC. LII. Ludovicus I. Rex Üng. annum decimum ad clavum Regni sedens, honoribus DEI Parentis Monasterium in Nostre, structurā, pulchritudine, ac majestate nulli in regno secundum, pro Ordine S.Pauli primi Eremitæ excitat. Et verò magnificentiam ejus, quam oculis contemplari temporum injuriæ vetuerunt, cogitatione vel indè tibi depinxeris; quod illustris ille rerum Ungaricarum scriptor Bonfinius persæpe, dum in suis de eodem annalibus meminit, non alio, quam excellentissimi nomine compellere.

Nec inane hoc illi nomen; siquidem

tantis in dies rebus à munificentissimo  
Principe donabatur : Ut F. Nicolaus  
(verba Annalium recito) *Vicarius Gene-*  
*ralis paupertatis metas, ultra præscri-*  
*ptas paupertatis leges, excessisse videns,*  
*de nimietate bonorum Regis liberalita-*  
*tem accusaverit, adeoq; nè ultrà beneface-*  
*ret, per salutem suorum Fratrum, &*  
*professæ paupertatis amorem obtestatus est.*  
Ubi tanta in domicilium Marianum li-  
beralitas, quantus in Mariam amor ?  
vin' (a) verus amor nullum novit babere  
modum.

Secundùm fortunatius illud prælium,  
quō profligatissimum Christiani nomi-  
nis hostem, acerbissimum Mariani Regni  
direptorem, antiquissimum Apostoli-  
corum Regum inimicum, Tartarum fu-  
dit, debellavit, Ludovicus ; haud mul-  
ti effluxere dies, dum eodem anno, ut  
se virtute Marianâ superiorem de hoste  
orbi declararet, (b) binas Magnæ Ma-  
tris honoribus à fundamentis excitat  
Basilicas, quas & regia locupletat dote:  
alteram Aquis-granī in Germania ; in  
Styria ad Cellas Marianas alteram : atq;  
hæc est illa hic loci Ludovicea ædes,  
quæ

(a) *Propert.* (b) *Dec. II, L. X.*

quæ primam Virginis illius ædiculam amplissimo sinu hodie complectitur : grandiq; suo ambitu multis mortalium millibus, eò voti causâ confluentibus locum præbet. magnum opus, & Ungaræ pietatis æternum monumentum. supereft ibidem etiamnum Regis modò dicti paludamentum, calcaria, ensis ; pacis nempe, & belli decora ; nam utrobiq; Ungaris spes, & ornamentum est Maria. Extorsit itaq; à Barbaro Ludovicus victoriam, & bina victoriæ monumenta consecrat posterorum memoriæ : plures orbis Catholicus victorias de Barbaris referret, si plura Virgini Matri trophya statueret.

A.C. M.CCC.LXXVII. Ut nè minimum ardoris illius, quô in Matrem Gratiarum à teneris fuit Ludovicus, in pectore suo intepuisse, testatum faciat ; Thaumaturgæ, Anno currente, Virgini in valle Mariana ( Thall ) sacrarium simul, ac regium pro Ordine S. Pauli Primi Eremitæ cœnobium construendum curavit. Scitum erit hic unum aliquem versum litterarum adjicere, quô & eruditæ lectorum serviam curiositati, & Regis in Mariam incredibilem verbis

ipius ostendam religionem (a) Nos (sic regiæ habent litteræ) ob spem & devotionem nostram quam ad Beatissimam & Gloriosam Virginem MARIAM habemus &c. Ecclesiam B. Virginis in terra Thall vocata, supra Castrum Porusthiam, ab ipso castro, & ejus jurisdictione, & dominio eximendo, Ordini Fratrum Eremitarum perpetuò dedimus præsidendum. nœ magnum amoris argumentum !

Verùm licet in cultum Dominæ (b) præceps illa manus fluvios superaret Iberos, aurea dona domens; nihilominus nunquam ad tantam posteriorum existimationem, tanta ejus in Deiparam munificentia dimanaret: nisi (c) exemplo quoq; suo multos ex Antistitibus, Optimatis, & Nobilibus ad hæc divinæ pietatis officia invitasset: qui, nè à sui Regis magnificentia degenerarent, per se, suosq; templos, donuq; dicârunt. Ità nimis (d) componitur orbis, Regis ad exemplum.

A.C. M.CCCC.LVIII. In communi omnium Ungariæ ordinum consilio, Pesthi celebrato, Matthiam Corvinum

uni-

(a) Annal. PP. Paul. (b) Claud. (c) Bonf.  
Dec. II. L. X. (d) Claud.

universis suffragiis, una voce, populus Regem declarat. (a) sexagies mille aureum à Podiebradio redimit, ac Anno M.CCCC.LXIV. post gemina de Turcis ad Jayczense munimentum relata trophya, celeberrimo Regni conventu, sive Cœnæ Domini, ut Turoczius & Nauclerus; sive Die Parasceves, ut Bonfinius, per Dionysium Szécsi Cardinalem Metropolitam, Albæ Regalis, in Basiliæ Divi Stephani, regiis decoratur insignibus. Quō Marianum in cultum is fuerit ardore, si è cineribus hodie suis consurgeret, testis illius temporis Bonfinius, referre nesciret. & verò ipse ne scire se apertè confitetur: dum (b) quis ea, inquit, pro dignitate referre poterit, quæ ad Regalem Albam in Divæ Genitricis Basilica moliebatur: totam enim, ut sacrorum taceam monumenta regum, non modò instaurare: sed multò præstantiorem officere conabatur. magnam imprimis aram longè pristina laxiorem fundare adorsus est: pus artificiosæ testudinis, ac eminentissima, è quadrato lapi de inchoatum, quod in convexa absida jam consurgere coepérat, totq; circumfor-

nicibus obstruētum est, ut acerrimum quodq; superet ingenium. Jus, æquitās-que posulabat, ut dignum Magnâ Hungarorum Dominâ monumentum pone-ret; quod majestate cederet minimè Vi-cegradensibus illis, inter septena veterum miracula jure optimo recensendis palatiis.

Verūm dum hæc commemorō; tenebras, spinásq; loqui videbor nonnullis, quibus in volutandis Bonfinii annali-bus tempus ponere prorsus est incon-cessum. Ut nè igitur narrationi Ædipo opus sit; licet quām qui maximè, pro-perem; nequeo tamen ab animo obti-nere meo, quin iſhuc familiaris, quo u-tor, rerum Ungariæ memorabilium scri-ptoris verba adjiciam, sicq; Vicegradi Majestatem, in mente lectorum depi-ctam, velut in tabella quapiam descri-bam: (a) ad Vicegradum prisorum quon-dam regum arcem, in editissimo loco si-tam, subjacentem regiam sic amplificavit, sic hortis, vivariis ferarum, & piscinis excoluit, ut ædificiorum superbiā alia quoq; superare videatur, apparatus hic attalicos, & laxa triclinia, ambulacra

tecto-

(a) Bonf.

tectorio opere candidissima, & fenestras superbissimas cernere erit. hic horti, fontesq; pensiles, qui porphireo marmore, & neog; solio culti sunt. Hæc tui Lector gratiâ: ut ex profana Vicegradi magnificentia divinam in Mariana Albensi Basilica (a) quæ acerrimum quodq; superat ingenium, admireris majestatem. Sed ad pertexendam telam redeundum.

Et si cætera (b) quæ per Basilicas Marianas exædificari fecit, Matthias, opera longioris esset rite enarrare; non tamen ego fraudarem isthinc suâ munificentissimum in Deiparam gloriâ Principem, quin & minora summis aspergerem, nisi in heroicis fusori, adstrictiori in Marianis recensendis Ungariæ Regum honoribus uteretur calamo Bonfinius; at licet is ferè missa fecerit amoris in Dei Parentem documenta; ego certè pro eo, quô in Regem, Regis, Regniq; dominam feror ardore, ea, quæ incomentariis identidem voluntatis animadvertere per tempus licuit, planè præterire, iniquum esse existimabam. quare nè unum aliquem detineam, quam potero, in verba narrationem conferam paucissima.

B 7

An.

(a) Bonf. (b) Idem.

Annus Christi M.CCCC.LXXV. unà  
cùm gentilitio Matthiæ Corvini Scuto,  
turri Templi Beatissimæ Virginis, in re-  
cèns suscitato Budensi præsidio, inscul-  
ptus, prætereuntium etiamnum pate-  
scit oculis. Quis pendeat animi, prin-  
cipium ejus, simul & fastigium, Matthi-  
am honoris Mariani studiofissimum,  
posuisse? nisi is, qui vanam ex alienis  
facinoribus gloriam sibi legere voluisse  
Matthiam fallacissimè asseveret.

Bina præter hoc largitatis argumen-  
tum Domicilia Deiparæ sacrata, amplif-  
simis Matthiæ ornata muneribus lucu-  
lenter cognovi: Szegedini in vita alte-  
rum, alterum à vita Albæ Regalis. illi  
paludamentum regium exquisitis distin-  
ctum unionibus; huic à Gnato Regis  
Corvino Duce, jubente Patre Anno  
M.CCCC.LXXXX. (a) oblatæ pretiosa  
munera, quæ si tui erudite Lector sunt  
Stomachi, strictim, ut mihi liberum est,  
non meis percursa habè lineis: impri-  
mis crux solida, gemmatâ, ex obrizo af-  
fabrè facta; quam quinque ♂ quadra-  
ginta aureorum millibus venisse prædicab-  
ant: item gemmatæ fialæ, ♂ pelvis au-  
red,

(a) Bonfin. Dec. IV. l. VIII

rea, candelabra, calices, Eucbaristiae ta-  
bernaculum, omnia è puro solidóq; auro  
confecta, lapillorūmq; multorum varietate  
dissimillantia, mitto hīc statuas argētens,  
duodecim sacrarum vestium appara-  
tus unionibus admodūm oneratos: quæ  
omnia 75000. aureūm venisse referebant.  
Dignum sanè tanta Regina tantum Do-  
num!

A. C. M. DC. XVIII. Suspendite ge-  
mitus de imo pectori productos Unga-  
ri! abstergite genas perenni lacrima-  
rum fonte fœdatas necessarii mei! Pri-  
mi illius seculi, quō ad clavum Regni  
sedit Primus Rex vester sanctissimus,  
desiderio studiosissimi tenebaminī? at-  
tigisti scopum felicitatis, rediit: dum  
alter Stephanus vestrō consiliō Regni  
Mariani capeſſit habenas Ferdinandus  
II, Princeps Apostolicus Rex Marianus.  
Vix dum hīc regali potestate præ-  
esse, cùm subditis religione in Dēum,  
in Dei Parentem amore præſtare eniti-  
tur muneris memor, memor officii sui:  
quare fixum in animo, & destinatum  
habet, nihilq; sibi deliberatius manife-  
ſet docet: quam (a) nullis laboribus par-  
cendis

(a) P. Nieremb.

sendi; nullis occasionibus de cælis submis-  
 nistratis substrahendi operam, quoad de-  
 fensio, & tutela Religionis in Ungaria  
 firmaretur, ad eum ipsum modum, quod  
 olim Regnum illud Catholicum, & Apo-  
 stolicum extiterat, atq; à Patrocinio Dei-  
 paræ non minus validum, quam fortuna-  
 tum. hæc meta Regiæ dignitatis! cu-  
 jus causâ nihil illi sanctius, antiquius  
 nihil; quam ut singularem Dei Geni-  
 tricis (a) Cujus tutela, ac potestati D. Ste-  
 phanus se, Ungarosq; omnes addixerat,  
 omniq; suorum studia, fortunusq; dica-  
 derat, in populi sibi subiecti cordibus  
 amorem excitaret, excitatum inten-  
 deret, intensum conservaret. Cùm  
 verò (b) nec sic inflectere sensus hu-  
 manus edicta valent, quam vita Regen-  
 tis, ut suo eum pertraheret exemplo  
 (c) devotione in Deiparam serebatur ar-  
 dentissimā, quia hanc, ut Filius Matrem,  
 amabat. Quæ porrò excudit amor, sa-  
 tiūs foret silentiò præterire; quam ea  
 pro dignitate in censum vocare non  
 posse: at cum Regis in Magnam Ma-  
 trem religio, tum Lectorum in Princi-  
 pem Marianum observantia, aliud à me  
 effla.

(a) Ponf. (b) Claudian. (c) P. Nier.

efflagitat ; his ut morem geram , illi ut faciam satis , pietatis capita strictim , quantum quidem dabitur , percurro .

Primas studiorum ejus in Magnam Dominam jure obtinuit perpetuum precationum pensum ; à primo enim ætatis tempore , dum in vivis numeratur , dies nulla præteriit , quâ solitas , ante simulacrum Virginis Dei Parentis , non conficeret preces . nullam sodalitatum in Provinciis hæreditariis repetisses , cuius album Augustissimo nomine non gauderet : quid ? quòd documentum fuerit , in quod ut in speculum (a) Imperatrix , Rex , Regina , Libertas Archi-Duces inspectantes ad idem facendum incitabantur . Quovis Divæ Virginis profecto parum , vel nihil cibi solitus capere (b) suo exemplo Palatinos omnes ad parem pietatem induxit . Magna vis exemplorum . (c) ut nos corrumptunt vitiorum ; ità corrigunt virtutum exempla domestica : magnis cum subeant animos authoribus . Nîl mirum : quemadmodum namque malè de republica merentur vitiosi Principes , quòd non solùm

(a) P. Nier. (b) Idem. (c) Juvenal. Sa.  
tyr. 14.

solum vitia concipiunt ipsi ; sed eainfundunt in civitatem ; neq; solum obfunt, quod illi ipsi corrumpuntur , sed etiam quod corruptant, plusq; exemplo , quam peccato nocent. Ita enim verò contrà, bene de republica merentur incorrupti Principes, quod non solum virtutes concipiunt ipsi, sed eas infundunt in Regnum ; neq , solum profunt, quod illi ipsi corriguntur, sed etiam , quod corrigant , plusq; exemplo , quam probitate profunt. Hi regula morum , hi norma subditorum !

De magnis hactenus , at privatis : nunc de majoribus , quia publicis differamus : quid magis publicum ? quam in sermonibus , diplomatibus , editis , in aperto militiae campo circumferri ? insignia Virginis Sanctissimae militaribus in labaris representari ? quid majus ? quam Generalissimam exercituum nominari ? communi legionum veneratione Praefidem salutari ? salutavit Praefidem, nominavit Generalissimam, Ferdinandus, Mariam.

Verum recepit magnum magni Honoris pretium, publicum publicae pietatis ornementum. quod illud ex ipso  
feis.

sciscitaris? reponit: (a) nullam se à Deipara opem implorâsse unquam, quam illico non obtinuerit. non unius operæ fôret singula ad calculos revocare, istud pro certo habe: (b) ut prosperam in Regem Romanorum electionem pro Ferdinandio Filio impetraret Ratisbonæ, Cellensem peregrinationem vovet, & impetrat. ut Adamo Comiti Schwarzenburgico à morbo decumbenti valetudinem pristinam cælitus exoraret; munus insigne ad eadem Deiparae deportandum constituit, & exorat, compos factus utriusq; desiderii. Tantæ pietatem in Matrem Gratiarum manent gratiæ.

A.C. M.DC.XXIX. Eò subinde fecerata gregariorum militum: processit temeritas: ut oppida, vicos, domos compilare, virtuti priùs, quam vitio deferre neutiquam sit verita: hinc obvia quæque diripuit, evertit, inflammavit. nec profanis parcitum, nec divinis. grassatur impietas; at modum inventit; dum Rex Marianus famâ (c) cohortem quandam ausam fuisse expilare sacram alicubi eadem Deiparae accipit. hic enim verò lapis ille offendionis zelô cul-

(a) Nieremb. (b) Idem. (c) Ibidem.

cultus Virginei incensus, punctum temporis non moratus, calamum corripit,  
 exarat, expedit plenas Marianæ vindictæ litteras: (a) Dilecte Comes; perscribo,  
 quod dolens intellexi de insolentia, & ausu; quem militum meorum  
 nonnulli commisere feruntur in ædem  
 Divæ Virginis sacram. Notæ tibi sunt  
 gratiæ, & victoriæ, quas per intercessionem Deiparæ Generalissimæ meorum  
 exercituum, hactenus obtinui:  
 nisi abstineat ab hujusmodi delicto  
 miles, justo metu teneri possum; nè  
 pristini ejus in me favores in indignationem abeant. Mando tibi, quam  
 valeo efficacissime; ut accurate inquiras in factum, & severissime plectas res,  
 neque cujusquam respectu flectaris.  
 Ita munus adimplebis ministri; qui  
 Principis sui gratiam demereti gestit.  
 ò piam fortitudinem! ò fortem piatem!

Complura fortis illius in Mariam amoris argumenta, temporis nisi angustiae facultatem negarent, enucleatius adnotarem; idcirco incidam minora, nè serò ad majora deveniam.

An-

(a) Nieremb.

Annos natus vicenos sceptrum Provinciarum tenens Lauretanam ædem peregrinus invisit, ubi ad Aram Virginis Thaumaturgæ maxima voti religione fæse obstrinxit: seetas, sectariosq; ministros omnes, utpote juratos intemeratae Matris hostes, à Provinciarum limitibus funditus exterminare.

Anno item ætatis quadragesimo tertio, Angelico Ungarorum donatus diademe, ad Cellas prefectus Marianas voti se damnavit, pari studio Regna, annexasq; ditiones ab heterodoxorum doctrina repurgandi.

Par & in hoc eluxit Ferdinandi virtus: evocaverat ille ab Hispaniis Religiosos ordinis S. Benedicti de Monte serrato, quibus extra Viennæ pomærium Cœnobii, Templiq; honoribus Dei Genitricis sacrandi jacere sanxit fundatum: quod dum Præsidii accipit Præfetus, male urbi consultum ire Cæsarem, ob editiorem Basilicæ fabricam, præsidio proximè accedentem, aperte declarat; cùm militaris Reipublicæ leges hujusmodi machinas munimentis finitimas demoliendas potius jubeant, quam erigendas. nè videlicet hostis refugii,

fugii, aut si mavis, propugnaculi locò eminentiori utatur domicilio. Quid ad hæc Ferdinandus? alienis abducitur à pio proposito consiliis? minimè. Mens immota in sententia perfstat sua, utpote (a) non existimans tutelæ Urbis munimentum aptius Ecclesia Deiparæ, quam optabat quovis alio propugnaculo civitati conjunctiore. Quare nequaquam, inquit, discedo ab opere constituto, quā parte mandavi, eñ Templum assurgat: plus inde emolumenti, quam periculi rebus civitatis accessurum confido. Scitè hercle, sapienterq;: nunquid ibi periculum? ubi Mater salutis.

A. C. M. D C. XXXVII. Posteaquam undevigesimo anno ad Marianæ gubernacula Monarchiæ sedet Ferdinandus, inter jaculatorias, quas non modò diurno vigil; verùm etiam nocturno tempore dormiens, familiares ad B. Virginem precatiōnes habebat, multis meritis ornatam Creatori suo reddit animā. Eodem anno summâ rerum Hungariæ (cujus jam Anno M. DC. XXV. vidente Patre electus, & sacro coronatus fuerat diademate) Ferdinando III. tradi-

(a) Nieremb.

tur. Hic certè: quidquid operæ, viri-  
um, studiorumq; adhibere potuit, præ-  
termisit nihil: ut quoquo modo Paren-  
tem amantissimum proximè abhinc fa-  
to perfundit vestigiis consequeretur.  
quam ob rem nulli pepercit labori, ut  
omni morā abjectā ex Ungaria, Bohe-  
mia, Moravia &c. profligatissimos Dei  
Matris inimicos ejiceret; neq; multum  
negotii futurum apparebat, ut primo  
quōq; tempore cœptam à Parente te-  
lam filius pretexeret. Id maximè co-  
gitantem varia (<sup>a</sup>) ad Danubium, Al-  
bium, Mœnum, Visurgim, Nordlingam  
belli certamina excipiunt. Quæ verò  
ex his (ut semel, atq; iterum, ac sæpius  
prospera fors tulit) cœpit spolia, iis  
non suas; sed Viennensis Lauretanæ  
Domus opes auxit, cumulavit. Quip-  
pe bene de se meritæ Aciei Castrorum  
sese gratum exhibuit Ferdinandus, dum  
triumphorum, quos ope Virgineâ de  
hoste gloriofissimè retulit, retulit insi-  
gnia.

Ad hæc largitatis monumenta in fo-  
ro Urbis Viennensis maximo, colos-  
sum Deiparæ sinè communi conceptæ

mag

(a) Germ. Gloriosa,

macula, raro è marinore constructum, adjecit; quem Anno Christi M. DC. L. XVIII. tertio ab sui in Ungarotum Regem inaugurationis anno, æneum redidit Filius Leopoldus (a) ab omnibus, quæ Christianum, ac sapientem Principem commendare possint virtutum ornamentis cognomento Magnus. Quibus hic in Magnā Ungarorum Dominā animi significationibus fuerit, longū sit recensere: id compendii locò habe: ad nullum momenti majoris negotium inconsulta Virgine aggressus est. namq;

A. C. M. DC. LXXIII. Bellum Leopoldo adversus Imperii direptores movendum fuit, non antè movit, quam ad Marianas Cellas celebre inter Styrorum alpes templum ( de quo nuper ) profectus fuerit, ejus Patrocinio arma, provincias, populos commendaverit.

A. C. M. DC. LXXVI. Iter ei suscipiendum erat Passavium, ubi solennia nuptiarum cum Eleonora Magdalena Neoburgica, celebranda fuere: non antè suscepit; quam, quod consuetudinis postulabat ratio, Cellensem adierit Virginem, remq; totam Deo Regnorum

Mo-

Moderatori commendaverit: peractis nuptiarum solenniis, non antè Viennensi se commisit itineri; quam Ædem Marianam, quæ ab auxiliis nomen mutatur, splendidissimo comitatu, pietate maxima, invisisset.

A. C. M. DC. LXXIX. Atrociori in Viennam, aulamq; pestilentiae vi sævi- ente, Pragam in Bohemiam emigrandum fuit Leopoldo, non antè migravit; quā in Marianis Cellis ad Sospitatricem misericordum Virginem adierit.

Nec in angustis solūm rebus ad suam Dominam, ope imploratus, confugit Leopoldus; verūm in optatis quoq; rei eventibus, pro ope acturus gratias advolabat.

A. C. M. DC. LXXVIII. Quid amabo ex animi sententia Leopoldo cadere poterat jucundius, quam lætissimus Josephi Archi-Ducis ortus? ubi lætitia tanto effusior, quanto diuturniore expectatione Regnorum desideria suspenderat Cœlum? at & hīc tantum abest, ut lætitia, Leopoldinā è mente Virginem evulserit, ut continuò Cellensem (a) ad Virginem vota persolverit, sacrum o-

C

(a) P. Franc. Wagner in His. Leopoldi  
S. H. KÖNYVTÁRA

dæum pulcerrimi operis, cratibus argenteis hodie dum peregrino yisendis, præstruxerit.

Jam si paulum longius quam finis officii postulat, progredi jus esset; modum profectò excederem, in singulis ex ordine recensendi, & Leopoldi in Deiparam studiis, quibus Ejusdem honoribus sacrata templa, exceptis ab hoste manubiis diçavit; & in manifestis Deiparæ in Leopoldum favoribus, quibus hæc sua studia remunerata identidem contebatur. Nempe: immodicos fructus, immodicæ pietatis.

Verum dum hæc planè prætermitto, in Annum M. DG. LXXXXIII digitum intendo. huc oculos, huc animum advertite Ungari! & si unqnam Leopoldi suscepisti virtutem, jam verbis amplissimis, jam laudibus maximis, ad posteriorum propagate memoriam; alterâ ille ab Assumptæ in Cœlos Dominiæ luce, in Templo S. Stephanij (a) gratias agit Deo, pro obtentis contra Barbaros victoriis, Regnum Ungaria ad imitationem primi illius Regis S. Stephani B. M. V. dedicat. Felices fuere Majores Vestri,

quia

(a) Germania Gloriosa.

quia à Sancto Stephano Dei Parenti dedicati, bis felices vos ( sperate ) futuri, quia & à Stephano, & à Leopoldo Magistriæ dedicamini.

Verum ne Lectoribus plus facebam negotii, virtutem finiam virtute, Leopoldinæ terminum ; exordium Eleonoræ ponam religioni. Quo cultu, qua pietate, quo precationum numero Cœlorum Reginam, Magnam Hungarorum Dominam venerabatur Eleonora, si defnire licitum foret, humanam fidem excedere me censeret ; nulla enim, si tibi summatione in principio exponi petis, ( a ) vel à Sanctissimis viris ex cogitata est Diversi Casilites ( quid de Cœlitum Reginæ ? ) colendiratio, quam sibi, si res, tempusque ferret propriam non adscisceret Eleonora. jam si ea, quæ notiori consignata cortici pervolutavi, chartæ sigillatim consecrare libet, portento similia narrantem demirabere : à prima enim ætate, dum viveret, diem prætermisit nullum, quo non Reginæ Cœlorum coronam pertexeret. quod pietatis genus universæ familiæ esse voluit familiare ; ut hujus æmulatione ad apicem pietatis

in Mariam summum incitaretur. (a) nimis : non amat vehementer virtutem, nisi qui ardet emulazione recte factorum ab aliis.

Inexplicabili implebatur gaudio, si cuius Sodalitii, nomini, ac auspiciis Dei paræ sacri Sodaliū albo inscriptorum nomina suo augere licitum fuit: hinc (b) quātquot sunt ejusdem nomini ac auspiciis sacræ sodalitatem, sodalem Eleonoram habuere. Verūm nè inani Sodalis gauderet vocabulo, profecto Beatissimæ Matris die vix, ac ne vix quidem cibi, potusve aliquid capere, preces per diem longè plurimas peragcre consuevit: quod si tantæ precationum multitudini, quā obstringuntur singulæ, angustior esset dies; quaternos, qui tenuissimis, ac ferè nullis fuere opibus, viros; totidem constituit fœminas, quæ in sui vicem debitum persolverent.

Primas Sodalitati, cui nomen inscriptit suum, inscriptaq; unum ad quinquagenos vixit annum, Neoburgensi detulit: ad hanc quotannis à proposito moveri nescia, solitam devotionis formulam, suâ exaratam dexterâ (quod ipsum

(a) Plutarch. (b) in Vita.

ipsum paucis ante obitum diebus fecisse fertur ) Neoburgum transmittere in more habuit. basi statua, virtus constantia stabilitur.

Templa, arásq; cultui Virgineo dicatas maxima animi adibat voluptate. Ad Oetinganam enim Virginem semel atq; iterum cum Conjuge excurrit in Bavariam, cuius thesaurum regiis auxit muneribus. Ad Cellensem Thaumaturgam consilii de Cœlo, vel auxiliū implorandi causā per asperimas advolabat vias. (a) ubi prater anathemata opulentissima alia, Sacerdotalis aræ paratus, una ipsius manu, opere longè pulcerrimo, ac pretiosissimo perfectus visitare. Non multò inferiori suppellectile Budensem, Marianis Honoribus à Matthia Corvino sacratam, ditavit ædem.

Dicant, utinam ! ii, quoties ( si tamen numerum iniverint ) in Lauretano Aulici Templi Sacello ? quoties ad æneum Immaculatæ Virginis colossum, in genua provolutam videre ? quoties ad Divi Petri coram imagine, è cuius oculis vivas stillâsse prohibent lacrimas ? quoties in Basilica Divi Stephani

obseratis undiq; portis , à crepusculo  
 ( sub quod sese eò conferre consuevit )  
 in alteram ferè noctis horam , ante mi-  
 raculosam Magnæ Ungarorum Domi-  
 næ in Poce superioris Ungariæ vico An-  
 no M. D. LXXXVI. lacrimantis i-  
 maginem , humili abjecta preces ferven-  
 tissimas , lacrimasq; cum lacrimante fu-  
 dit Virgine. dicant inquam ii , quos re-  
 ligionis suæ consciens æternum tenere  
 jussit silentium , eam in virtute expri-  
 mens naturam solis , qui quò magis in  
 alto est , eò minores jacit umbras.

Næ injurius Eleonoræ sum , si missis  
 longè plurimis amoris in Deiparam ar-  
 gumentis , istud tacite prætereo , quod à  
 teneris ingeniosa pietate factitabat .  
 Etenim dum Paternos adhuc coleret  
 lares , à prodigiis clarissimum Virginie  
 Sanctissimæ simulacrum in vico Bitten-  
 brunn , dimidiâ Neoburgo horâ diffito ,  
 perfozzo calceorum fundo invisere con-  
 suevit . neq; ab hoc pietatis ardore  
 descivit jam Augusta Ungariæ Reginæ ;  
 namq; ad Hiezinganam Virginem fæ-  
 penumerò , totis ferè excisis soleis , sub  
 primam auroram , concentus inter &  
 carmina , pedes proficisciebatur . quod  
 dum

dum pediti per conscientię suę arbitrum, tam longum iter inire non licet; ad *Bellum Fontem* Viduę Imperatricis Amalię visitandę gratiā sese contulit, unde dum Archiduces, ac Nobile Gymnecium horto, vel ludo sese oblectarent, prope sola Hiezingam advolabat. Quid opus est comitibus, quam undiq; famulæ comitantur virtutes.

A. C. M. DCCXX. Quantumvis extrellum illud mortalibus commune fatum, Eleonoræ extorserit lucis usuram; non item Mariam. Supremis illa imponit tabulis, ut eo se induant, ornentq; habitu, quo mancipia Marianæ certis utuntur solennitatibus: ut vide- licet, cujus se in vivis, Ejus à morte etiam profiteatur mancipium.

Accedat Carolus III. Augustissimus, potentissimus, invictissimus Rex Ungarorum, Orbis terrarum Monarcha maximus, vel ideo tantis Parentibus dignus Filius, quia DEI Matris amantissimus. Hic enimvero est ille Marianus Cliens, qui ab ætate prima primis id incuris, magnóq; reposuit opere: ut amor, cultus, honor, quem suo fovit in corde, in subditorum propagaretur præ-

cordiis ; hunc ut proprio edoceret Re-  
 gnum exemplo, Anno M. DCC. III. cùm  
 à Patre , Josephi natu majoris Filii suf-  
 fragiō , Hispaniarum Rex nominatur :  
 suum in Regnum iter suscipit ; at non  
 antè aggreditur , quām commune mor-  
 talium Persugium in Cellis accesserit  
 Marianis ; unde imploratā suæ Auxilia-  
 tricis ope , felicioribus iter avibus a-  
 dornat , urget , conficit : quod ut testa-  
 tum faceret , gladio latus exarmat , au-  
 ñurus Dei Genitricis in Monte Serat-  
 to thesaurum , cum hac appendit Epi-  
 graphe : (a) *Quæ sacris in paginis nigra*  
*dicitur sed formosa, quæ Mater est ejus,*  
*per quem Reges regnant, præolutus in*  
*genua in perpetuam memoriam devotio-*  
*nis, De Voto anIMO Consecro, & depono*  
*gladium lateri meo detraictum, ut pro me*  
*ita exarmato, fortioribus armis Cælum*  
*militet, sub auspiciis Magnæ hujus Cælo-*  
*rum Reginae, quam eligo, & confirmo*  
*In bello DVCEM exercitus, In paCe*  
*CVstodi DeM Regorum, ac Advocatam*  
*ad Deum pro me peccatorum maximo.*  
 Sic nempe jam tunc in Hispaniis coronæ  
 præludebat Ungaricæ Rex Marianus ;  
 cuius

(a) Decenn. Joseph.

cujus ut votis omnibus subscriptat Virgo Sanctissima, orat, precaturque  
Ungaria.

## PARS SECUNDA. PRINCIPUM UNGARIAE IN VIRGINEM DEIPARAM OBSEQUIA.

**A**nnus Christi D. CCCC. LXXIX.  
Regum Familiam Filius; Princeps Parens ducit: vix dum  
nota de nomine MARIA in Ungaria, &  
jam Ipsa ad Geysam ultro, ac sponte  
divertit: sive virum in partes suas at-  
tractura; sive, quod verius est, suis Re-  
gnum aeternum honoribus paratura;  
his eum miro circumdata lamine, se-  
cundum quietem fertur allocuta:  
*(a) Bono animo esto Geysa. Ego sum Maria  
illa intacta Virgo, quam Christiani homi-  
nes tibi dixerunt esse JESU Christi Filii  
DEI Matrem: nosse te volo, Filio meo  
quum erga ejus cultores animum gratum*

C 5

acce-

*(a) P. Inchof. ad Ann. 979.*

acceptumq; fuisse. Ob honorē igitur quem illis impendisti, præmia ipse tibi reddet cumulatissima. Hic jacta sunt Marianī in Ungaros amoris fundamenta ; hic Ungarorum in Mariam succensa corda : ab eo namq; tempore alter à se effectus Geyfa, ritus patrios posuit, Catholicum induit, & post D E I cultum, M A R I Æ honorem in primis propagavit, dum vixit.

A.C. M.XXXVII. S. Gerardus Csmadiensium Episcopus, idemq; glorio-  
fissimus subinde Martyr. (a) in Basilica S. Georgii magnifice à fe constituta in-  
signem Marianis honoribus dedicavit  
aram ; collocavit ante eam singulare de  
argento thuribulum, néve ignis defice-  
ret, aut vapor odorus, ministros addidit  
provectæ ætatis, probatæque virtutis  
homines, qui operi constantes instarent.  
Ad hanc eandem aram Sabbatha singu-  
la, non minus celebria erant, ac publi-  
cæ aliæ Virginis solennitates : cæteris  
autem diebus manè, ac vesperi suppli-  
cantium ritu eò concedebat Sanctissi-  
mus Antistes, suamq; Ecclesiam, ac Uni-  
griam univerfam MARIÆ commen-  
dabat :

(a) P. Insbof. ad Ann. 1037.

dabat: mos hic vim deinceps legis obtinuit, quā cavebatur, consuetudinem tam sanctam ullo unquam tempore intermittere; duravitq; quoad Episcopium Csanadini duraret. redibit, spes est, redeunte jam ad Ungariam Csanadino.

Hujus itidem Mariani Præfulis tempore, sive Authore illo, seu apud Stephanum, Principesq; alios, Promotore, sanctum est: nè passim Deipara, MARIA vocaretur, idq; tanti nominis reverentiā; verū si quis de Ea sermōnem institueret, MAGNAM DOMINAM appellare jubebat. Quod si contingeret suo ut nomine MARIA à quoquam nuncuparetur: nudarent continuò verticem, flexoque poplite nomen magnum venerarentur, tum qui pronunciaret, tum qui pronuncianti auscultarent. Et gessit omnino mōrem Ungaria universa, eōq; cultu vel nomen ipsum prosequebatur. Heu pie-  
tas! heu prisca fides!

Annus Christi M.C.X. Templo Fraknenſi inscriptus legitur. Princeps arā coævam Templo statuam habet Virgini Beatissimæ miraculis clarissimam,

multis mortalium millibus voti causâ  
perpetua devotione frequentatâ. Quis  
Dominorum loci illius ædem hanc po-  
suerit? divinare nobis non est integrum.

A.C. M.C.LXX. Abbatiæ Beatæ MA-  
RIÆ Virginis de Abraham à Moyse, &  
vetustate Familiæ, & Palatinali Regni  
Ungariæ Dignitate, & non vulgari in  
Deiparam religione præstanti Viro,  
fundamentum, ac subindè fastigium  
magnificè imponitur.

A.C. M.C.LXXV. Comes Wolffe-  
rns non minùs à religione Virginea;  
quam divitiis instruētus, Abbatiam B.  
MARIÆ V. de Monte Német-Ujvari-  
ensi, Dioceſis Javrinensis, pro Ordine  
Sancti Benedicti excitat, rēq; ampla, &  
prolixa locupletat.

A. C. M. CC. XXXXVI. Statua B.  
M. V. miro artificio, affabréq; sculptur.  
hæc in PP. Franciscanorum Templo,  
honoribus Magnæ Ungarorum Domi-  
næ, Gileti Ducis, de Frakno Principis,  
& hæreditarii lacūs Pejso, seu Fertő  
Domini tempore sacrato; atq; adeò  
(ut de tanto Viro divinare convenit)  
ejusdem sumptibus erecto, multis eti-  
am-

amnum mortalium millibus eò religio-  
nis causâ ad volantibus propitia.

A. G. M.CC.LX. Pazitense B. M. V.  
Sacrarium munifico Conradi & Emeri-  
ci Fratrum, Comitum de Frakno ære  
confurgit. cujus majori in ara locatum  
est DEI Parentis Anno salutis per Chri-  
stum restitutæ supra millesimum, qua-  
dringentesimum quadragesimo sexto  
factum simulacrum, ob innumerabilia  
grodigia Ungaricæ Genti pervulga-  
tum.

A.C. M.CC.XXXIX. Honore, no-  
mine, Sanctitate illustris Banfiorum, De  
Felső-Lendva stirps, fortunatum futu-  
ræ in DEI Genitricem liberalitatis ve-  
stigium: Abbatiam B. MARIAE. V. de  
Bajk, in Comitatu Szaladiensi, Diœce-  
sis Wesprimiensis, Ordin. Præmonstra-  
tensium constituit.

A. C. M.CC.LXXXXI. Sub ea tem-  
pora operi jam antè inchoato in Beatissimæ  
Virginis Oratorio ( cui Rheme-  
tha nome dedit ) Civitati Zagrabensi  
proximo, gloriosâ sacrationis Sacerdo-  
tum senatus operâ fastigium imponi-  
tur.

A.C. M.CC.LXXXX.IV. Nicolaus  
Fran-

Frangepan, multarum Vir genere pro-gnatus imaginum, à pluribus generosis factis, gloriāq; militari clarissimus; o-nibus suffragantibus meritis Regni Croatiæ Banus, ac Breberiensium subin-de Comes nominatus, eodem in loco, ad quem Anno M. CC. LXXXI. Na-zarethana DEI Incarnati Domus in Il-lyricum Angelorum translata fuit mi-nisteriō, eōdēm q; in Picenum anno cur-rente deportata, in populi solatium, DEI Parentis honorem, liberalibus im-pensis fundat Basilicam.

A.C. M. CCC. XXXIX. In Comitatu Scepensi sub monte nivosi nomine nuncupato, pro PP. Benedictinis Abbati-a erigitur. cui Cellæ Marianæ nomen imposuerunt incolæ. Eodem ferè an-no Abbatiae B. M. V. de Enyere in Co-mitatu Szaladiensi principem posuerunt lapidem, ac statim pōst magnis sumpti-bus ad culmen opus perduxerunt no-biliissimā nati Familiā Thomas & Joan-nes de Enyere.

Circ. Ann. Christi M. CCC. XXXX. Præstans in Cœlos Assumptæ Virginis Basilica; præstans PP. Franciscanorum Cœnobium, munificentia Illustrissimæ,

éjusdémq; vetustissimæ Perényiorum in  
Ungaria Familiæ construitur; quæ sub-  
inde temporum injuriâ, sacrarium u-  
num si excipias, magnam majestatis suæ  
jaucturam subiit, mansítq; annos com-  
plures in ruinis propriùs sepulta; dum  
Monasterii industriâ Rectoris à strue la-  
pidum repurgaretur; atque Anno  
M.DC.LXXXIII. impensis Illustrissi-  
mi Comitis Ladislai de Szent-Ivány, Vi-  
ri de DEO, & Patria longè meritissimi,  
Lauretanâ DEI incarnati Domô conde-  
coraretur; quæ deinde mutavit locum,  
quando templum ipsum novam indu-  
ret formam, eámq; permagnificam, sup-  
petias potissimum ferente inlyto Se-  
natu Regiæ Urbis Czessoviensis, qui ab  
anno M.DCC.XVII. perpetuâ munifi-  
centiâ in præsentem usq; diem ædem  
hanc sacram colit, & ornat.

A. C. M. CCC. XXXXII. Instaura-  
tur cujus, incertùm, beneficentiâ Abba-  
tia B.M.V. de Bizere in Comitatu Oro-  
diensi. non fraudarem isthinc ego suâ  
munificentissimum in Deiparam gloriâ  
clientem, si nomen extaret; at haud  
magnopere me angit istud, cùm ma-  
gnum Mariæ cultorem magna in Eam li-  
beralitas testetur.

A. G.

A. C. M. CCG. LVII. Monasterium  
B.M.V. in Eczen, Comitatūs Ungvari-  
nensis, operā, ac benevolentiā, honestis-  
simi, & nobilissimi generis Viri Tho-  
mæ de Baxa, Filiis S. Pauli primi Eremit-  
tæ statuitur.

A. C. M. CCC. LXXIII. Bertholdus  
de Ellerbach inclytis satus Majoribus  
insigne Asceterium in Monyorokerék  
pro PP. Paulinis ædificandum curat,  
eui finitimum honoribus Marianis ex-  
citat Templum.

A. C. M. CCC. LXXXIV. Funda-  
menta Abbatiae B. MARIAE Virginis  
de Piliſio, in Diœcesi Wesprimiensis,  
ponuntur. Anno à salute hominum ge-  
neri data abhinc tertio Monasterium  
Virginis Elisabeth Visitantis in Laad  
impendiō Petri, & Georgii Czudar  
Fratum, in veteri dignitate, fortunāq;  
natorum construitur.

A.C. M. CCCC. In Villa Röitō Eccle-  
sia B. M. V. paulò antè ædificari cœpta,  
maximis expensarum augetur incre-  
mentis. ejus lateri continentes fonti-  
um gelidæ scaturiunt perennitates, de  
quibus si quis se bricitantium quidpiam  
delibat, saluti restituitur. feliciori pro-  
sus,

curâ, quâmii, qui æstu, & febre jaëtan-  
tur, gelidæq; haustu relevati videntur,  
deinde multò graviùs, vehementiusq;  
afflictantur. non aquarum hæc; at gra-  
tiarum Fonti Mariæ deferenda virtus.  
Eodem salutiferi partûs anno Joannes  
Kanisai, Strigoniensium Archi-Episco-  
pus, de DEO, DEI Parente, Ecclesia,  
Patria, longè meritissimus ad latus Basi-  
licæ Strigonensis Sacellum Beatissimæ  
Virginis excitat, loeupletat.

Circ. Ann. Christi M.CCCC. Princeps  
illud, ac toto ferè Ungariæ Regno no-  
bilissimum PP. Franciscanorum Ascete-  
rium, uti & Templum B. M. V. dicatum,  
à singulari Illustrissimæ stirpis Bathoria-  
næ munificentia Gyöngyössini accipit  
fundamentum.

A.C. M.CCCC.XXX. Bene & felici-  
ter hoc tempore res acta PP. Paulino-  
rum; omnibus enim instructum rebus  
simul Domicilium, & Templum, cultui  
Virginis ab Angelo salutatæ addictum,  
beneficâ, copiis amplissimi Comitis Sti-  
borii, manu ad Bolondocz Castrum ex-  
ædificatum, adepti sunt.

A. C. M.CCCC.LII. Dionysius S. R.  
E. Cardinalis, vigilantissimus Archi-E-  
pisco

piscopatūs Srigoniensis Antistes, amplissimis impensis loci ejusdem Basili-  
cam (cujus magnificentiam augustissima  
porticus demonstrat, simul claritatem  
ostendit) totius generis Ungarici Ad-  
vocatæ, & D. Alberti Martyris honori-  
bus dicavit; cuius thesauro anno post  
Christum natum millesimo quadringen-  
tesimo sexagesimo quinto, naturæ fa-  
tisfacturus, octo aureorum millibus au-  
xit.

A. C. M. CCC. LXXI. Marianum  
pro Filiis S. Patris Pauli primi Eremitæ  
Domicilium, unâ & Templum Magnæ  
Matri in Gombaszeg, Diœcesis Varadí-  
nensis, sacratum; munificentia Geor-  
gii, & Ladislai Bebék de Pölsőcz funda-  
mentalem lapidem, ac flatim post acci-  
pit coronidem.

A. C. M. CCCC. LXXIX. Fratrum  
qui Eremum in primis colunt, Monaste-  
rium B. M. V. de Castro Sub-Novi, Co-  
mes Martinus de Frangepanibus, Du-  
oviczeni nullius dominationi possef-  
sione parenti, ingenuè donat.

A. C. M. CCCC. LXXX. Osłensi in  
Villa Ecclesia B. M. V. beneficiō illustrī  
Avorum sanguine nati Ladislai Kinisaj  
fun-

fundatur. altare hujus ex prodigiis non  
obscuram Pannonicæ Genti Virginis  
complectitur iconem.

A.C. M.CCCC.LXXXIX. Illustræ  
Neosolii Augustissimæ Cœlitum Regi-  
næ ; operâ, studio, ære deniq; Michaë-  
lis Kinigsbergii statuitur sarcarium, ac  
multis, iisdemque pretiosissimis cime-  
liis locupletatur.

A.C. M.D.II. Emericus Perényius de  
Regno Apostolico Pro-rex longè me-  
ritissimus, Ordini, qui vitam ad saxa,  
& scopulos sanctè ; & piè exigere con-  
suevit, Ecclesiam B. M. V. de Terebes  
lægitur.

A.C. M.D.VII. Sacello de Invocatione  
B. M. V. purpureo ex marmore  
constanti, testudinem auream, ipsum  
deniq; ædificii fastigium amplissimo, S.  
R. E. Principis, Strigoniensium Archi-  
Episcopi Thomæ Bakacz ab Erdöd ære  
impositum fuisse hoc tempore docet se-  
quens inscriptio : THOMAS BAKACZ  
AB ERDEVD, CARDINALIS STRI-  
GONIENSIS, ALME DEI GENITRICI  
VIRGINI EXTRUI CURAVIT.  
M.D.VII.

A.C. M.D.XXIV. Ladislaus Szal-  
kanus,

kanus, Srigoniensium Antistes integerimis, Mariani cultūs Propugnator longè acerrimus, ut infensissimis Virgineæ religionis inimicis, in Transsylvania invalescentibus, obfisteret; 15. Augusti mandatum Cibiniensi, & Coronensi Ditionis suæ curatoribus, litteris committit: ut è vestigio eos, qui vel minimum in evolutandis Lutheri paginis tempus posuerint; aut eas emerint; venales habuerint; vel earum dogmata amplexi fuerint, capitalium instar Marianæ honoris hostium anathemate defigant.

Ad Annū Christi M.DC.XII. Postquam Calvinum ejurâsse Georgius Drugeth de Homonna, natalium splendorē non minùs, quam religionis studio inter Ungariæ Proceres, conspicuus, elegans templum in arce Ungvariensi Assumptæ in Cœlos Virginī dicat. Hujus ejusdem antiquissimæ, & celeberrimæ Familiæ opus est Lauretana ad Monasterium Homonnense Virginis Deipanæ Domus.

A.C. M.DC.XXXVI. Georgius Lipai Archi-Episc. Strigon. fidei PP. Societatis JESU B. MARIÆ, Virginis do-

foro.

Ilorofæ commisit aram , cui perpetuum  
ignem , quem aleret in lampade oleum ,  
promovendæ religioni fundavit. útq;  
amoris ardorem, quô à teneris in Vir-  
ginem Sanctissimam fuit, in civium pro-  
pagaret præcordiis ; festis B. M. V. die-  
bus , quoad vitam egit , amplissimas E-  
jusdem laudes ad concionem deprome-  
bat. pro suo in Thallensem Thauma-  
turgam studio, Patribus, qui ibidem so-  
litariam degunt vitam, 5086. Rhen. do-  
nat.

Eodem Authore hoc ipso anno Col-  
legium Generale Cleri Regni Apostoli-  
ci sub auspiciis Ungarorum Reginæ, in  
Libera , Regiáq; Civitate Tyrnaviensi  
instituitur.

A. C. M.DC.XXXXII. Ibidem Ge-  
orgius Fenyesi Agriensium Antistes mar-  
moream Academicò in foro cultui Ma-  
gnæ Matris statuam collocat.

A.C. M.DC.L. Ibidem Georgius Sze-  
lepcseni , magnæ ille Vir sapientiæ,  
Idémq; Archi-Episc. Strigon. Seminari-  
um sub Ejusdem Virginis nomine , &  
patrocinio excitat pro Clero , & Nobili-  
tate Hungaria. opus magnificentum est, &  
cujus non pudeat tantum Fundatorem.

A.G.

A.C. M.DC.LXXXI. Finem accipit  
 Academica Collegii Societatis JESU  
 Cassoviensis Basilica. Stat ædificium  
 grande sumptibus Principis Sophiæ Ba-  
 thori, & Filii Francisci Rakoczi. Atq;  
 hæc illa Sophia est, quæ Mariani in Un-  
 garia honoris ætate suâ Propagatrix  
 indefessa, Propugnatrix æterna vixit ;  
 quæ vires hostium Deiparæ his in par-  
 tibus prima infregit, néve assurgere a-  
 liquando possent mirâ providentiâ ca-  
 vit : digna, quæ aliquando adspectabi-  
 lem haberet Cœlorum Reginam. Jacet  
 grande Ungariæ Depositum , ultima  
 Bathoriorum omnium , adeoq; virtu-  
 tum omnium compendium in hoc ipso  
 templo, quod Sanctissimæ Trinitati, Bea-  
 tissimam Virginem in Cœlis coronanti,  
 religiosissimè dedicavit.

Seculi proximè superioris occasum,  
 & præsentis ortum ad usq; annum de-  
 cimum tertium , quo vivere desiit , ad-  
 miranda prorsus , & nefcio an terris ul-  
 lis visa Pauli Eszterhazi S. R. I. Princi-  
 pis, & Ungariæ Proregis pietas in Dei-  
 param illustravit. Tria Ejus honori-  
 bus de fundamento eduxit monasteria ;  
 plus quam centena variis in locis sacra-

ria; aras adhæc, & altaria penè innumerā; quorum princeps est illud Gel-lense solidō de argento regiâ planè magnificentiâ confectum. multa hujus Principis, multa aliorum Ungariæ Optimatum in Magnam Ungariæ Dominam obsequia cogimur vel inviti filere, nè limites transgrediamur. Illud adjecisse sufficerit: Familiam nullam illustriorem, aut nobiliorem esse; quæ non eadem sit etiamnum religionibus Regiæ Ungarorum devotissima.



### PARS TERTIA. POPULI UNGARICI IN MAGNAM DOMINAM PIETAS.

**P**RÆIVERE Reges, & Principes, sequitur in parendi sortem genitum vulgus. haud difficulter obsequuntur membra, ubi caput affurgit. sive exemplo Dominorum, sive innata quadam, atq; occulta vitrabitur

hitur populus Ungaricus in amorem, reverentiāmq; Virginis Sanctissimæ. hinc M. CCCC. LXII. communī statuum omnium, ordinūmq; consensu, lata lege, perduellionis notā affecti sunt omnes, qui hæresi (Matri DEI semper infensa) adhærerent. Deinde M. D. XXIII. in campis Rakossiensibus hostes Ejusdē Sacratissimæ Virginis MARIAE ad rogōs damnati sunt. Demū M.D. XXXXVIII. publico universi Regni sancito exulare jussi, qui sub ea tempora irrepserunt Heterodoxi. Nec unquam omnino hanc nomini suo maculam inuissit, aut inuret olim populus Ungaricus, ut adverfarios Magnæ suæ Dominae aliquando censeat in Civibus.

Huc faciunt: supplicationes illæ à multis Ungarorum millibus in gloriam MARIAE, laudēmq; quotannis suscipi solitæ; anathemata ad Ejusdem aras appensa; Dies Virginei, summā semper pietatis, ac celebritatis solemnitate culti; & sexcenta id genus Nationis istius in Reginam suā studia.

Deniq; loca Ungaris habitata, alia Virginis nomine se se insignivere; alia communibus expensis templa Illi, & facel-

facella construxere ; alia sodalitates  
 promovendo Ejusdem amori, & æstia-  
 mationi conflavere ; alia tandem pu-  
 blicis domos suas simulacris, fora sua  
 statuis illustravere. Omitto multas  
 nè Cassoviensem Virginis DEI Parentis  
 colossum omittam, domestica vetat  
 religio. Cœpit hic ædificari Anno  
 M.DCC.XX. indè diebus propemodum  
 singulis incrementa accipit, & orna-  
 menta. fulget jam arte, & pretio, fulge-  
 bitq, amplius, eritq; prima inter deco-  
 ra Urbis Regiæ. Communes diverso-  
 rum sumptus opus construunt ; labor  
 pius, & religiosa industria D. Victorini  
 Flach, Equitis de Flachenfeldt, Tabel-  
 lariorum Magistri pro virili sua urget.  
 At Tu jam Magna Ungariæ nostræ Do-  
 mina protege Regnum tuum ! tuam eti-  
 am protege Cassoviam ! quod alienum  
 à Te, seu hac in Urbe, sive reliquam per  
 Ungariam est ; aut reduc, aut tua ex  
 Gente depelle. Favebis voto, immo-  
 lavisti : *Gaude MARIA Virgo, cum  
 Gas barefes sola intermisisti in uni-  
 verso mundo.* Eccl.

P I N I S.



# NOMINA OFFERENTIUM.

*Illustriſſimi.*

**C. JOSEPHUS BARKOCZI**, Ungarus de Szala, ex Comit. Zempleniensi.

**LADISLAUS L. B. SENYEI**, Ungarus de Kis-Senye, ex Com. Zempleniensi.

*Perillustres, Prænobiles, Nobiles.*

**SAMUEL SZTANKAY**, Ungarus de Prócs, ex Comit. Saárofienſi è Conv. Nobilium.

**MICHAEL ARVAJ**, Ungarus Caffoviensis, ex Comit. Aba-Ujvariensi.

**PAULUS KERESZTES**, Ungar. de Pelejte, ex Comit. Zempleniensi.

**FRANCISCUS DESÓFFI**, Ungarus de Csernék ex Comit. Saárofienſi.

**STEPHANUS USZ**, de Eadem Ungarus ex Comit. Saárof. è Conv. Nobil.

**NICOLAUS KORPONAJ**, Ungarus Caffov. è Conv. Nobil.

**MICHAEL BERTHOTI**, Ungarus de Nagy-Vétéz, ex Comit. Saárofienſi.

**MICHAEL NIKOLASSI**, Ungarus Szomolnokienſis, ex Comit. Scepusienſi è Conv. Nobil.

O. A. M. D.

DA 641

